



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vsvardi Martyrologivm**

**Usuardus <Sangermanensis>**

**Lovanii, 1573**

Capvt XIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42790**

recondidit. Ei anno quinquagesimo quinto succedit sanctus Humfridus, qui à Normánis sede pulsus Nicolaum primú consuluit, num reuertédum sibi esset ad ecclesiá. Erat etiam in Bertinico monasterio sanctus Grimbaldus Tornacensis, qui in Anglia abbas obiit, anno nongentesimo tertio.

Ultraiectésis episcopus erat sanctus Radbodus qui propter Traiecti desolationem Dauentriæ resedit: Traiectum autem per successorem restaurandum fore, spiritu prophetico præuidit.

Per eosdem nonnulli etiam martyrio sunt coronati: vt in Frisia sanctus Vualtfridus, cum Radfrido, & Theracia: in Hollandia sanctus Ieron: in Brabantia Fredegerus presbyter, qui Lyrae crudeliter, in altari sacrificans, peremptus est: in Hasbania, sanctus Libertus, qui euerfa Mechlinia, ad sancti Trudonis monasterium confugerat. vbi ante altare cum socio est occisus: in Artesia, ad sanctum Bertinum Vuocardus & Vuinebaldus presbyteri, Gerardus & Regenardus diaconi, qui ad monasterij custodiam relictí, exusto sacro loco, exquisitis cruciatibus sunt interfecti: Nouiomi in vrbis direptione occisus est Emino episcopus.

Sanctus Meingoldus autem Huij occisus est, circa annú nongentesimú, sed non à Nortmannis.

CAPVT XIII.

*Quarta  
vastatio  
Hungarorum.*

**N**ondum extincta Nortmannorum vastatione, Hungarorum gens barbara, mortuo Arnulpho imperatore, per totam Italiam, Germaniam, & Galliam, vt fera tempestas diffunditur; anno

anno nongentesimo tertio; & vario vastationis genere depopulata est has regiones, per annos circiter quinquaginta. Tempore Orthonis primū aggressi sunt Lotharingiam, sed virtus Dei per merita sanctorum Vrsuarii, & Ermini, apud Lobium monasterium ostensa anno quinquagesimo quinto, eos ultra prodire prohibuit. Tunc sanctus Guibertus, fundator Gemblacensis monasterij, quosdam eorum sua prædicatione conuertit, dum per vicum Gemblacensem ibant, & redibant. Altimontenses autem reliquias sancti Marcellipapæ & martyris, in terra defoderant, ne in barbarorum manus deuenirent.

Claruit eodem tempore sanctus Gerardus abbas, fundator Broniensis monasterij. qui multa templa & monasteria, à Nortmannis euersa, reparauit, potissimum in Flandria: Idem ad monasterium suum attulit ossa sancti Eugenij Toletani episcopi, sicut Guibertus ad Gemblacum corpus sancti Exuperij vexilliferi.

CAPVT XIII.

**S**anctus Macarius patriarcha Antiochenus, resignato patriarchatu peregrinando in Belgium nostrum peruenit. in quo & uiuus & mortuus innumeris miraculis claruit. Anno millesimo duodecimo Gadaui peste obijt, & sua morte omnium velut mortem, Deo placato restinxit. Elenatus est ab episcopis, anno ab obitu circiter quinquagesimo quinto, præsentente Philippo Francorum rege, & alijs vtriusque ordinis proceribus.

Sanctus Arnulphus episcopus Suefsionensis, mi-